

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]*

Communicata  
in decem





M-s. 1297

an f.

R

2197.6


F. A. H. Maxß  
1831 oho



LIBELLVS DE  
SPHÆRA PROCLI DIADOCHI,  
EX GRÆCO LATINVS FACTVS CARMI-  
NE HEROICO, A MARTINO RAKO-  
CIO TVROCIENSI.

PRAEMISSA EST ELEGIA CLA-  
rissimi uiri, D. Casparis Peuceri, Medici & Profes-  
soris Mathematicum in inclyta Vitebergæ  
Academia.

ADDITA EST ELEGIA AVTORIS,  
quæ continet Historiam Cancrorum.



VVITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.  
ANNO M. D. LVI.



LIBELLVS DE

SPHERA PROCELIDADOCH

EX GRÆCO LATINVSQVE CARMI  
NE HEROICO, A MARTINO RAKO  
CIO TYROCIENSE

PRÆMISSIS EST FLORIDA CLAS  
sificatio, auctore Johanne  
Johanne Michelsen, inchoata Vindoburgæ  
Academia

ADDITIONE EST FLORIDA AVTORIS

per Joannem Michelsen Carstadium



VITTEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES

GRATO

ANNO M. D. LVI





CLARISSIMO VIRO DOCTRINÆ

na & uirtute præstanti D. Valentino Vagnero, Rectori Scholæ, & propagatori doctrinæ cœlestis purioris & optimarum artium, in urbe Daciæ

Alpinæ Corona, amico suo colendo,

Caspar Peucerus

S. D.

Carmina, docte Valens, Musarumq; optime fautor,  
Sinceræ studium qui pietatis habes.

Carmina perlegi, quæ nunc tibi mittit amicus,

Et sunt iudicio sæpe probata meo.

Digna fauore hominum sunt hæc documenta bonos

Ingenij præbet si qua, iuuenta sui. (rum,

Vestra sed imprimis gens digna est laude perenni,

Quæ genus, & fortî à Pæone nomen habet.

Quòd sequitur studio per tot discrimina tanto,

Doctrinæ lumen, notitiamq; Dei.

Et procul à patria per tot spaciofa locorum

Millia, Musarum tentat adire domum.

Audiat ut Christi patefactum munere uerbum,

Quo pater æternus cernitur esse Deus.

Traditur & Christus pura de uirgine natus,

Vt delicta suo nostra cruore luat.

Atq; Euangelio ut semper sibi colligat agmen,

Iusticiæ radios cui det habere suæ.

Vt reddat cunctis æternæ gaudia uitæ,

Iustifica capiunt quæ bona tanta fide.

Hæc sine fucato panduntur dogmata sensu,

Albidos ad ripas, qua schola nostra iacet.

Fallor? an his ducibus patefacti concio uerbi,

Pæonis in tota mox resonabit humo.

A ij

Sincer



Sinceramq; Dei uocem penetralibus imis,  
Conceptam referent fana, prophana prius.  
Turcarum rabies frangetur, & impia cedet,  
Quæ uiguit passim pulsa superstitio.  
Effigies uotis his annue uiua parentis,  
Nec mea des rapidis uerba ferenda Nothis.  
Et precor, hac cætus semper tibi collige in ora,  
Quam mediam rapidis irrigat Ister aquis.  
Pura Euangelij seruent qui semina, Christe,  
Iustifica faciant & tibi uota fide.  
At studijs animum rectis cum sedulus ornet,  
Qui dedit auspicio nominis ista tui,  
Illius commendo tibi studia atq; camœnas,  
Namq; tuo prorsus digna fauore reor,  
Prouehere fortunam iuuenis pro parte uirili,  
Ut doctos habeat patria terra uiros.  
Sic age Mecœnas, tibi sic Deus offeret ultro,  
Munera diffuso nobiliora sinu,  
Et tu gnate Dei, cum sis uberrima uitis,  
Sit tibi foecundus palmes ut iste, dato.

Bene & foeliciter uale.

16. die Nouembris

Vitembergæ. Anno

1555.



AD CLARISSIMUM VIRVM D.  
VALENTINVM VAGNERVM, PASTOREM EC-  
clesiæ Coronensis, Magistrum artium. Elegia nuncupatoria  
Martini Rakocij Turociensis.

A Ccipe deductum Romana in carmina Proclum,  
O Vagnere chori præses Apollinei †  
Hic tibi solerti cœlos, mundiꝫ meatus,  
Et uarium astrorum commemorabit iter.  
Carminibus forsân poteram fœlicius uti,  
In re non uires exuperante meas.  
Si nunc iustus honos, ut quondam, uatibus esset,  
Et uetus in Musas ille uigeret amor.  
Numquid Olympiæ decantem præmia palmæ?  
Annè retudentem Turcica bella manum,  
Aut Mæcenatem mundi per climata uulgem?  
Et celebrem multa relligione Numam?  
Talía fœlices quondam cecinere poëtæ,  
Præmia cum Musis, amplus & esset honor.  
Nunc qui laudari uelit, aut uirtute mereri,  
Pierias laudes, eximiumꝫ decus †  
Non facilè inuenias multis è millibus unum,  
Pegasidesꝫ aliquid qui putet esse deas.  
En ego consulti dum sector Apollinis artes,  
Proꝫ mea uacuis carmina fingo lyra.  
Quamuis à nullo meus extenuetur abusu  
Sacculus, & nummos non habet ulla meos.  
Nulla meo turpis uestitur adultera sumptu,  
Lusor id, & de me dicere Caupo nequit.  
Nec pictas uestes rimato comparo limbo  
Aut caligas, quales prodiga turba gerit.  
Nec mihi, quo uiuam, sceleratas quero per artes,  
Sed latitans modicè uictito sorte mea.

A iij                      Aegra



Aegra tamen mea pera iacet, nec carmina profunt,  
Nil prodest Helicon, nil, quòd honesta sequor.  
Nemo cantandum mihi se, non præbet Alexis,  
Non, uel Bucolici Daphnis amantis amor.  
Dum licet ergo meis ea decantabo camœnis  
Quæ iuuet, & quæ me dicere nemo uetet,  
Ne mihi iners ullum sine nomine transeat æuum,  
Scilicet haud uita est, uita labore uacans.  
Sic ego uel, Proclum ceu licia certa secutus,  
Deduxi musam pulcra per astra meam.  
Vnde mihi nec honos, nec opes, aut fama paratur,  
Quòd doctrina nimis cœlica spreta iacet.  
Cum tamen ipse Deus iubeat momenta tueri  
Atheris, & patriæ lumina clara suæ.  
Iste decens ordo cœli, legesq; uicesq;  
Immensi ostendunt numinis esse Deum.  
Omnia qui arbitrio solus sapiente gubernet,  
Qui curet Regum sceptrum, suumq; gregem.  
Hæc bene contemplans hominum quis debeat ordo  
Esse: sciet, cui sit quis tribuendus honor.  
Nam medium Phæbus mundum regnator oberrat,  
Stipatus superis, principibusq; suis.  
Qui simul it cubitum, Dominatrix roscida noctis,  
Ni coëat fratri, lumina Luna regit.  
Cætera stellarum Solem plebs omnis adorat,  
Regis ad affectum stansq; cadensq; sui.  
Quid? quòd & exiguum cœlorum fabrica cosmum  
Indicat, ac hominem consonat istud opus?  
Lumina sunt homini data, nec non mobile primum  
Mens, quæ per nervos omnia membra mouet.  
Pluraq; doctorum solers quæ industria cernit.  
Dum rerum causas, quæ latuere, petunt,

Quid?



Quid? quod amicitia est naturæ maxima toti?  
In quam non nullum desuper astron agit.  
Hæc elementa docent, per quas Ecclesia terras  
Ducta sit, ac in qua sederit illa plaga.  
Hæc natale solum monstrant Christiꝫ tuumꝫ,  
Et sub quo uiuas æthere, quòue loco.  
Ista, globum Solis geminata luce stetisse  
Non casu ad Iosua fortia facta, docent,  
Quæꝫ Deum in cunis monstrârît stella iacentem,  
Duxit ab Eoã cum regione magos.  
Hinc scimus quales Christo moriente labores  
Lumine sol proprio deficiente, tulit.  
Proh dolor, hæc multi spernunt, cœlumꝫ tuentes  
Rident, & stolidi talia dicta ferunt.  
Dicite, Vaniloqui, quid qualibet expedit hora?  
Materies quo sit quæꝫ secanda die?  
Quis fuit in cœlis? totum quis mensus Olympum?  
Vnꝫ cum stellis est ne locutus homo?  
Quisquis es, ò Vefane, tace, solertia cœlos  
Vincit, & ingenium subijcit astra sibi,  
Indita sunt hominum naturæ semina, per quæ  
Nosse Dei uerbo cuncta creata queunt.  
Hac tua cum radiant cultissima pectora luce,  
Qua cœli leges, sidera, uimꝫ uides.  
Tu Vagnere, probas casu non æthera ferri.  
Quæꝫ iuuare potes parte, mathema iuuas.  
Diligis Vraniam, positamꝫ in ualle Coronam  
Artibus exornas & pietate tuam.  
Tu graio potes ore loqui, potes ore latino,  
Quæꝫ facis, Phæbo carmina digna facis.  
Inde Coronensis Musis delecta iuuentus,  
Quæ sacra non parua laude lycæa colit.

A iij

Pieridum





Pieridum gaudet iuga, te praeunte magistro,  
Scandere, & Aonijs inuigilare choris.  
Hanc igitur Transylvanæ tibi gloria gentis,  
Consecro, sed uenæ pauperis Vraniam.  
Munus culturæ sterilis, sed diuite dignum  
Ingenio, & tanto quantus es ipse uiro.  
Quale tamen cumq; est, debet Vagnere placere,  
Quod constat pridem iam placuisse tibi.  
Nec ueterem erga me minui patiaris amorem,  
Quo dedit accensum te Deus ipse mihi.  
Musa potest melior mea te tutore uideri,  
Tutaq; sub clypeo quolibet ire tuo.  
Accipis hanc placido si tu, doctissime, uultu,  
Hoc mihi non precium grandius esse queat.  
Sic tua, quam curas diuino Ecclesia uerbo  
Crescat, sic pessum perfidus hostis eat.  
Sic peragas æuum dulci cum coniuge foelix,  
Sic similes possis progenerare tui.

Vitembergæ Mense Nouemb.

Anno 1555.



EPIGRAMMA AD  
Lectorem.

Si uarios Lector stellarum discere cursus,  
Claraq; Zodiaci sidera nosse cupis.  
Signifer ut monstret spacio sex signa diurno,  
Sex etiam nobis nocte uidenda gerat.  
Phœbus ut immotis absoluat legibus annum,  
Et radijs foueat cuncta creata suis.  
Accipe iam Proclum, latio quem transtulit ore,  
Sedula Rakoci cura, laborq; pius.  
Istaq; scribenti foelicia fata preceris,  
Ut uiuat foelix secula multa, Vale.

Michael Siglerus Cibiniensis.

ALIVD.

Aspicias, illustret quàm lumine Cynthius agro  
Debile, naturæ iam percuntis, opus.  
Vtq; uagas infausta ligat radiatio stellas,  
Infima quæ certa corpora lege regunt.  
Quis dubitat, signis extremam uelle ruinam  
His crebris mundi, significare Deum?  
Hæc igitur quisquis primum præscire laboras,  
Martini grata mente repone Proclum.  
Fonte quidem proprio poterat, sed ab omnibus æqua  
Haud facile, indoctis commoditate legi.  
Cultior at nunc est, latio uelatus amictu,  
Vix puerum, cui non proderit, esse putem.  
Hoc age præmanso iam uescere pane, diuq;  
Viuat ut hoc author sospes in orbe, faue.

Christianus Schesæus Transyluanus.

B SPHERA



SPHÆRA PRO  
CLI DIADOCHI, EX GRAECO FA-  
cta latina, Carmine Heroico, à Martino  
Rakocio Turociensi.

COElorum varias partes, & climata mundi,  
Nominibus iunctis, species, uiresq; locumq;  
Cyclorum, quæq; astra micent hærentia semper,  
Quas teneant cœli partes, quæ nomina signis,  
Omnia quæ calamo quondam mandare pedestri  
Cecropio proclo, Cylleni docte, dedisti  
Interpres diuum; numeris mihi posse latinis  
Da proferre precor, tuus est Auus Astrifer Atlas.  
Tu comes es Solis, medio qui lumine mundum  
Mulcet, & astrorum procul haud à Rege recedis.  
Tu quoq; dexter ades. numerorum Phœbe repertor,  
Suffice carminibus uires, uocemq; canendi  
Nam tua regna, uicesq; canam, mirosq; recessus.  
Omnes Dijs, Deæq; quibus cœlestia curæ  
Sunt, præbete meis fœlicia carbasa ceptis.  
Præcipuè blandę Charites mihi labra liquore  
Tingant Mopsopio, comitata sororibus una  
Vranie uenias, scrutatrix intima cœli;  
Et soboles eadem summi non falsa tonantis,  
Ipsa mone, quæso, sine te mihi carmen inane  
Obstrepet, oranti tua tu mihi carmina dicta.

DE AXE.

DImetiens totum penetrat quæ linea mundum,  
Quamq; agitur circum Sphæralis machina mun-  
Dicitur hæc Axis, superas is terminat arces, (di.  
Puncta polos, extrema uocant illius, Olympi.  
Quorum



Quorum alter Notius, Borealis dicitur alter.  
Hic nobis semper sublimis cernitur, illum  
Visibus à nostris sub terras condit Horizon,  
Sunt etenim terræ, quibus apparentia nobis  
Arctorum Astra latent in summo uertice fixa,  
Cernuus est illis contrà & spectabilis ille,  
Quem non conspiciamus, nostris si quærimus oris.  
Est & ubi super imposito polus incubat axē  
In plano Finitoris memorandus uterq;.

### DE CIRCVLIS SPHÆRÆ.

Cyclorum Sphæræ triplex genus esse feruntur,  
Principio inter se distantes partibus æquis.  
Hinc alij transuersa meant per culmina mundi,  
Et quibus est cœli geminas uia facta per arces.

Cardinibus primi circumuertuntur iisdem  
Cum mundo, quorum numero sunt quinq; notati:  
Arcticus, & Cancrī, Aequator, Brumalis, & Arcticis  
Circulus oppositus, manes qui respicit imos.  
In summa primus septem situs arce Trionum,  
Arcticus, inter conspicuos qui est maximus orbis,  
Et finitorem puncto non amplius uno  
Contingit, superas totus patefactus ad auras,  
Intra quem quæcunq; semel conclusa tenentur  
Sidera, non norunt ortum, neq; gurgite tingi  
Oceanī possunt, sed tota nocte uidentur  
Perpetuo circumq; polos axemq; reuolui,  
Hic primo pede maioris tibi scribitur Vrsæ.

Ultima cyclorum, quicunq; à sole notantur,  
Cancer habet Tropicus septem loca pressa Trioni,  
Quem simul accendit forti sol arduus æstu,  
In sua se recipit uestigia nota retrorsum.

A ij Aestiuamq;



Aestiuamq; Tropen numerosis perficit horis,  
Fitq; dies anni longissimus ille dierum,  
Et nox nascentes inter curtissima noctes  
Impigra tunc tacitis homines præteruolat alis.  
Ergo ubi Sol Tropici tetigit fastigia circi,  
Amplius haud illum cernas borealia uersus  
Tendere iter signa, at gradibus descendere curuis  
In partes uarias mundi, notiosq; recessus,  
Propterea Tropicus cum re cyclus ille uocatur.  
Aequator uero, qui de distantibus æquẽ  
Maximus est, illum medio secat imus Horizon,  
Ut pars sub pedibus lateat, pars emicet alte  
Supra terrarum fines, orbemq; rotundum.  
Hunc super accensus, noctes æquare diebus  
Sol, Verno rediens, Autumni tempore cedens †  
Afferet, At si brumalem cognoscere cyclum  
Est animus, paucis nunc sic edoctus habeto,  
Is tibi sit, qui, præ reliquis longissime in Austrum  
Quos sol designat, nostro descendit ab axe,  
Ille Tropas Solis Brumali tempore reddit,  
Quo nox exoritur tacito longissima gressu,  
Luxq; subit breuior quàm cunctorum ulla dierum,  
Quos properans subitis producit passibus annus.  
Hunc simul ac tangit, Notium non pergit ad axem  
Vlterius, sed retrogradus per signa, per orbem  
Sol in diuersas rapitur gratissimus oras.  
Hinc etiam Tropicum graio de nomine cyclum  
Dicimus hunc, quoniam uersus Sol inde recurrit.  
Hos sequitur circus geminis contrarius Vrsis,  
Estq; parallelus, Boreali ex omnibus æquẽ  
Partibus absistens, finitoremq; sub umbris  
Conditus, infernis totus, Stygijsq; uidendus †

Vna



Vna parte sui tangit decliue iacentem,  
Et neq; conspicimus, quæcumq; is sidera claudit.  
Ergo de quinis, quos iam memorauimus ante,  
Maximus æquator, Tropici sed proxima seruant,  
At minimi, qui tardigradis dicuntur ab Arctis,  
Hellada si spectes nostriq; cacumina cœli.  
Omnes quos cœlo labentia sidera signant  
Noueris haud latos, tantum ratione uidentur.  
Ex positu Astrorum, non frustratoq; dioptræ  
Contuitu, & sola concepti mente notantur.  
Lacteus excipitur, sensu memorabilis unus.

CVR QVINQVE DVNTAXAT  
æquidistantes in Sphæra.

Q Vinq; parallelos Sphæaræ describimus orbes,  
Non quòd eos tantum mundo natura crearit,  
Namq; globus Solis, cælo rapiente uolucris  
Quotidiè ad sensum gyrum facit, omnibus æquè  
Distantem punctis, ut centenosq; duosq;  
Bisq; quadragenos intra deducat utrumq;  
Solstitij Tropicum, tot enim mortalibus ægris  
Nascuntur luces, dum se declinat in Austrum  
A Cancro incipiens, iterumq; per alta reuertit.  
Quin etiam stellæ similes gyrantur in orbes  
Quaq; die. Quamuis autem ad sublimia profunt  
Astrologis, cœliq; uias ac sidera pandunt;  
Nam neq; stellarum poteris distinguere peplum  
Sat bene, nec noctes scitè pensare diesq;  
His sine; sed quoniam captantibus astra nouellis,  
Prima rudimenta excedunt, usumq; ministrant  
Haud magnum; placuit Sphæaræ non addere cunctos.  
At, quia conducunt monstrantq; tyronibus usum

B iij Ad



Ad prædiscendum stellas, cœlumq; tuendum :  
 In Sphæram quini Spacijs distantibus æquis  
 Ponuntur. Boreæ semper sublimia nobis  
 Signa cyclus cingit, Tropicus decedere Solem  
 Cogit, & illius cursum præfinit in Arctos .  
 Qui sequitur parili lucem perpendit & umbras  
 Lance, sed Australes aditus determinat alter  
 Luminis altioli, currusq; retrudit anhelos,  
 Circulus æthereo suspensus de Capricorno,  
 Commodat infernis latitans Antarcticus umbris  
 Sidera secludens oculis non cernua nostris.  
 Hos igitur iusta docti ratione locarunt  
 In Sphærae mundi circumuersatile corpus .

DE EMERSV ET OCCVLTATIONE  
 quinq; parallelorum,

**A**Rcticus ex dictis totus super eminet orbem,  
 Proximus huic Tropicus, partem sub nocte mis  
 Et pedibus cælat nostris, maiore sed extat. (nozem  
 Is tamen haud omni pariter regione secatur,  
 Sed uariat latè currens per climatâ & urbes,  
 Et semper maior borealibus imminet oris  
 Portio, quam resecans nobis definit Horizon,  
 Est & ubi supra terras se porrigit omnes  
 Totus conspicuus, partesq; secatur in æquas  
 His, qui nos ultrâ notium propè tecta sub axem  
 Inuisunt, nostris uero diuisus in oris  
 In partes octo: quinas superexerit, at tres  
 Condit sub terras, ad quod diuinus Aratus  
 Clima, suam gracili direxit carmine Musam  
 Cum fabricam cœli caneret, tropicumq; referret  
 Solstitij, dicens: partes dissectus in octo

Quinq;



Quinq; dabit superis, nigra tres sub tartara condet,  
Hic Phœbi reditus alternos indicat idem.

Hinc sequitur, quòd lux Rhodio longissima tractu  
Ultra semissem durat quatuorq; decemq;  
Aequales horas, peragit nox fusca nouenas  
Dimidiamq; simul, medio refecaris ubiq;  
In semi geminos æquator fissilis asses,  
Ut pars æqua extat, pars finitore sub imo  
Aequa sit, hinc illi noctes æquare diebus  
Est uirtus. At Brumalem sic findit Horizon,  
Grandior ut manes, rerum minor alta frequentet  
Sectio, nec secus est sub quouis æthere dispar  
Pluribus hic punctis, illic breuioribus extans,  
Quàm prædicta modo uariabilis òrbita Cancrì.  
Semper enim contrà, positis se partibus æquant  
Hi duo. Quapropter sunt & certissima causa  
Aequalis longæ lux ut longissima nocti  
Eueniat, tenebrasq; dies brumalis adæquet,  
Quas agilis peragit properatis noctibus æstas.  
Qui superest cyclus stygijs latet abditus umbris.

#### DE MAGNITVDINE QVIN- que Circulorum æquidistantium.

Cyclorum quosdam spacijs dictamus ñsdem  
Omnibus in terris & eodem corpore cerni.  
Ast alij uariant tractis per inane figuris,  
Hic ut maiores, illic spectare minores  
Contingat, quoniam tropicus respondet uterq;  
Æquatorq;, sibi spacijs par semper & idem  
Quolibet in tractu, geminus mutatur ubiq;  
Arcticus, ut uarij per terras ordine cœli  
Disponunt; diuersa quidem per climata sparsas;

His



His satis ut magnos, illis extare minutos  
Conspicias, Magnos, septen qui regna Trionis  
Et uicina colunt Boreæ, quibus altius axis  
Imminet, Vrsarum cyclum cum tangat Horizon  
Maïor eis multò, quàm australibus esse probatur.

Arcticus hinc ultrâ Tropico coniungitur orbi,  
Ut fiat Cancrî & Borealis circulus idem.  
Ac unum geminus positum sibi uendicet, at qui  
Vlteriora tenent Aquilonibus uita coloni  
Arua, uident circos, geminis queis nomen ab Arctis  
Contigit, obductos maioribus esse figuris,  
Quàm uigilem Tropici. Post hæc celebrata sequuntur  
Regna trucis Boreæ, uentisque tremencia tecta, (tur  
Hic tibi sublimis crepitanti cardine uertex  
Fit Zenith, coit Vrsiger & Finitor in unum,  
In mundi celeri coniuncta uolumina cursu.  
Sic, ut lanigerum pariter trutinamque secantem,  
Aequent submisso fusi gyromate, cyclum.  
Fitque, situ ut ternos pariter uideamus eodem:  
Arcticum, & Aequantem, finitoremque profundum,  
At polus hic rursus Notis decliuis in oris  
Conspicitur, circumseptæque minoribus Vrsæ  
Orbibus, Est & adhuc tellus uicinior Austro  
In medio mundi, quã uoluitur æquidialis.  
Illic finitor tenebris axemque polosque  
Excipit occultos, nusquam ut compareat ullus  
Vrsiger Aeolio memorandus uertice circus,  
Nec, nisi tres, cælo dictorum quinque supersint,  
Nempe duo Tropici, cum gyro curua secante,  
Sydera signiferi, medio currentia mundo.  
Nam neque perpetuos sic est remanere necesse  
Quinque parallelos, ut sunt super æthere nostro,

Sunt



Sunt loca terrarum diuersum culta per orbem,  
Tres ubi sint tantum super, & non amplius, horum.  
Primus ubi puncto contingit Solsticialis  
Orbis Horizonta, atq; loco Borealis habetur.  
Alter, quem dicunt positum sub cardine celso.  
Tertius hinc sequitur, quem paulo diximus ante,  
Illum sub calido Deus æquatore locauit.

### DE ORDINE AEQVIDISTAN- tium.

NEC series eadem dictorum durat ubiq;  
Arcticus est primus nobis, Tropicusq; secundus.  
Tertius Aequator, quartus madido actus ab Hirco.  
Ultimus hinc geminis semper contrarius arctis.  
Qui uerò propius, quàm nos, Aquilonia spectant  
Claustra, solumq; habitant ustum Borealibus alis;  
His primas fuscæ semper tenet orbita Cancræ,  
Subsequitur Boreæ, mox, ordine tertius æquans,  
Quartus adest uisus nullis Antarcticis astris.  
Post, certam ignauo designans frigore brumam,  
Hic tibi seruandus non eluctabilis ordo,  
Hic ubi fit maior Tropico Borealis adusto.

### DE POTESTATE AEQVIDIS- tantium.

SEd neq; uis eadem cunctis, eademq; potestas  
Orbibus est semper, nam qui Titania uertit  
Lumina, Cancræ bullatus torquis ab astris,  
Hic nostris Antichthonibus Brumalis habetur,  
Spicea sed contra quo illis inducitur æstas,  
Illa parit nobis ignauæ tempora brumæ.

At qui perpetuis habitant loca Solibus usta

C

Hic,



Hic, ubi præcinctum medio complectitur orbem  
 Aequator; contingit eis conuersio triplex,  
 Tres pariter Tropici, nam quã duodena per astra  
 Sol meat; hi loca clausa colunt compagine lata  
 Signiferi, Si quis tamen hos examinet orbem,  
 Inueniet Tropicum reuera ex omnibus illum  
 Dici illis, medius qui nobis ponitur æquans,  
 Brumales autem, quibus hic conuersio nomen  
 Attribuit, quoniam Tropicus propriè ille uocatur,  
 In summa; sedes hominum qui transit, & extat  
 Proximus ad capitis sese fastigia curuans,  
 Finitoris ubi supremo cardine Vertex  
 Pendet, & idcirco qui nobis cingit Olympum  
 Circulus in medio; æstiu præsumitur illis  
 Sostitij, æquantis qui sub gyromate degunt,  
 Lumina nam uectans supra caput altus eorum  
 Phœbus in hoc agitur, Quia uerò æqualiter omnes  
 Aequè diductos, rectus partitur Horizon,  
 Hos pro perpetuis cernunt æquantibus ijdem.

DE INTERVALLO AEQVI  
 distantium.

**I**mparibus spatijs etiam, nullocq; ligati  
 In cœlo inter se per non æqualia distant,  
 Sed magis hic illic uaria interualla per orbem  
 Efficiunt, pro Sphærarum ratione, situq;  
 Nam mediæ decies in senas orbe diei  
 Diuiso partes, senis discedet ab axe  
 Circulus ad Boream clausa celeberrimus Arcto,  
 Partibus hinc quinis uersus describitur Austrum  
 Gyris ad extremi decurrens sidera Cancri,  
 Tertius in media mundi regione locatus

Per



Per quatuor partes utrinque recedit ab illis,  
Ultima qui extremi signant uestigia Phœbi,  
Et metas ponunt, lumenque uolubile flectunt.  
At Brumam uertens, austrino distat ab orbe  
Quinque gradus. Verum Austrinus se tollit ab imo  
Cardine per senos. Sed non eadem omnibus illis  
Quolibet in tractu remanet distantia semper.  
Finales Tropici soli interualla reseruant  
Aequa, & ab æquatore locis æqualibus absunt.  
Cum tamen Arctois diuersa lege feruntur.  
Ut propius sint hic, discedant longius illic,  
Sic neque perpetuo distant à cardine mundi  
Arctoi paribus spatijs, sed latius absunt  
Hic, ibi per cœli breuia interualla rotantur,  
Quamuis aptentur Græcorum ad climata Sphæræ.

#### DE COLVRIS.

Nunc etiam cyclos Argiua uoce coluros  
Disce, tegunt geminas transuersis orbibus arces,  
Perque polos superas ducti tolluntur in auras.  
Quod non ex omni comparent parte, Coluri  
Sunt dicti, quoniam reliquos immensus Olympus  
Assiduo cursu, toto rotat orbe uidendos,  
At quædam partes horum occultantur in umbris,  
Scire cupis quæ sint? Lybicos Antarcticus illas  
Iungit ad Antoecos sub Finitore recondens.  
Sed per puncta tropas facientia tramite recto  
Signati currunt, tractumque per omnia monstra,  
Signiferi in quatuor cyclum secuere quadrantes.

#### DE SIGNIFERO.

Proximus huic labor est circos obliqua meantes  
C ij Dicere,



Dicere, quorum unus duodenis claret ab astris,  
 Nomine Zodiacus seu signifer ille uocatur,  
 Eꝗ parallelis compactus in æthere ternis  
 Astrifera in latum sese compagine pandit.  
 Nam duo latificant illum superadditi utrinꝗ  
 Extremi, mediꝗ ductus bisseña per astra  
 Solis iter signat. Punctis híc ergo duobus  
 Tangit in æquales binorum tracta recessus  
 Stamina cyclorum. Primò hinc in limite Cancrì  
 Aestatis Dominum, Vectorem barbigeræ illinc  
 Quadrupedis puncto in primo. Diducitur autem  
 In latum gradibus duodenis signifer amplus.  
 Et quia distantes inter se æqualiter orbis  
 Diffecat obliquè, est obliqui nomen adeptus.

#### DE FINITORE,

**Q**ui patefacta supra terras distinguit ab imis,  
 Hic propriè uulgò finitor dicitur orbis,  
 Quòd uisum finit, certoꝗ in carcere claudit  
 Lumina, & astriferum mundi sistema decori  
 Sic secat, ut suprâ terras pars una feratur,  
 Altera terrestri latitet caligine tecta.  
 Ille duplex fertur, sensu, & ratione uidendus.  
 Sensu, quem nobis uisus determinat, & qui  
 Bis centum stadijs diâmetrum longat in æquo.  
 At rationalis pertingit ad ultima cœli  
 Lumina, quæꝗ uagos non norunt astra meatus,  
 In partesꝗ duas mundum partitur. Vbiꝗ  
 Haud tamen est idem, uerum manet unus Horizon  
 Ad centena quater stadia aspiciendus eodem  
 Climate, Phænomenis, & eadem luce diebus.  
 At stadijs auctis, habita ratione locorum,

Alter



Alter Finitor, tractus succedet & alter,  
Alteratque cœlo surgunt spectanda patienti.  
Hæc tamen ad Boream, aut mediæ dimota diei  
Per loca, Phænomenum seriem, cum climate mutant,  
Namque paralleli eiusdem per multa coloni  
Millia distantes (quamuis uarietur horizon)  
Vnum clima colunt, ac apparentia cœlo  
Omnes cuncta eadem, prorsusque simillima cernunt.  
Sed lux non oritur, nec abit simul omnibus una,  
Si tamen exactum res exploretur ad unguem,  
Quolibet in puncto mundi nouus extat Horizon,  
Clima notum, noua cuncta cauo super æthere uisa.  
Is, quia cum reliquis cursu non fertur ab ortu  
In Zephyros, sed natura non mobilis hæret,  
Omnia conseruans eadem, seriemque situmque  
Machinulæ Sphæræ penitus non additur ulli.  
Namque moueretur mundo currente subinde  
Insitus, & supra caput erigeretur in altum.  
Sphærica quod ratio, & cœli doctrina reclamationat.  
Attamen illius scita fabrefactus ab arte  
Indicat alueolus positum, in quo Sphæra rotatur.

#### DE MERIDIONALIBVS CIR- culis.

CIRculus est mediæ descriptus meta diei,  
Qui transit mundi que polos capitique cacumen,  
In quo Sol peragit medias noctesque diesque,  
Hic firmus semper mundo currente resistit,  
Et retinet seriem, uicibus non subditus ullis,  
Ergo nec in Sphæram stellarum ascribitur orbis.  
Quandoquidem ad stadios mutarier usque trecentos  
Ad sensum non arguitur. Verum tamen omnis,  
C iij Occasum



Occasum uersus Phaetontiacosq; regressus,  
Flexus habet proprium mediãtem tempora cyclum,  
Tempora, Bosphoreo Phaëton quæ ducit ab ortu,  
Hesperias donec fessus declinet in undas.  
At Scythiam uersus, uersusq; palatia nigri  
Aethiopis, licet hinc uadas per millia multa:  
Ipse Mesembrinus terris erit omnibus idem,  
Nam, nisi ad occiduas deflectas deuius oras  
Eoasq; domos, uicibus non subiacet ullis.

### DE LACTEO CIR- culo,

**H**inc uia quæ ducit superos ad templa Tonantis,  
Solacq; conspicitur cœlo spectata sereno  
Candida, et in Tropicum sese procuruat utrumq;  
Lacteus est, ac obliquos cyclus inter habetur,  
Hunc tenui finxit rerum de nube creator,  
Sed non æqualem fieri sibi iussit ubiq;  
Ast hic contraxit, distendit latius illic,  
Propterea Sphæræ non inter pingitur orbes,  
Est uerò ex circis etiam maioribus unus.  
Hos siquidem recte maiores dicimus orbes,  
Qui retinent centrum Sphæræ totius, & illi  
Tot numero, quot spumosi sunt hostia Nili.  
Nempe æquans, rerumq; auidos qui perficit annos  
Signifer, ac ipsum quatuor per signa secantes,  
Perq; polos tracti cœlorum claustra Coluri.  
Quolibet in positu quintus mediator Horizon,  
Inde Mesemerinus, postremo Lacteus orbis.

### DE QVINQVE ZONIS.

**A**T terra in medio rerum systemate clausa,

Viri=



Viribus haud ullis humilis suffulta, quiescit.  
 Ipsa superficie tota diuisa rotunda  
 Quinq; plagis premitur, quarū hæc sub cardine dex-  
 Altera sub leuo iacet, astringentibus ambæ (tro,  
 Flatibus, & glacie semper niuiumq; rigentes  
 Mole, loca haud ullis facilè lustranda colonis.  
 Namq; tuos ab eis auertis, Phœbe, calores  
 Longius, & radijs depellis frigora nullis:  
 Terminat hanc filis notijs Antarcticus orbis.  
 Illam, secludens extremum frigus ad axem  
 Arcticus, his, Zonæ Soli uicina tenentes  
 Climata succedunt, mixto quas frigore flamma  
 Temperat, has miseris mortalibus ipse colendas  
 Concessit rerum pater, ac fabricator Olympi:  
 Et Tropiceis cyclis, quorumq; est nomen ab Arctis  
 Partibus incinctas, summa conclusit & ima.  
 Has inter quatuor medium tenet in clyta mundum  
 Quinta, per obliquos quâ Sol fert lumina flexus.  
 Semper Sole rubens, & torrida semper ab igne.  
 Hanc secat æquator terræ, quem denotat æquans  
 Per medium currens sublimis in æthere cœlum.  
 Vna sed ex illis, quas clemens temperat aura:  
 A nostræ partis colitur possessa colonis,  
 Longaq; circumdat spatioso margine terram,  
 Circumducta quidem stadiorum in millia centum,  
 In latum uero, spacij semisse relati.

D E S I G N I S C O E-  
 lestibus .

Sidera, quæ totum passim natura per orbem  
 Sparsit, & effigies uariarumq; ora ferarum,  
 Dispositis scitè stellis assumere iussit:

In



In ternas cœli certum est distinguere partes,  
Prima recuruatum rutilantibus undiq; stellis  
Zodiacum cingunt. Cœlum Boreale secunda,  
Tertia sed notijs propius dicuntur ab Austris.  
Stellæ Zodiacum bisseña parte regentes,  
Sunt aliàs propria memorata animalia uoce.  
Quarum non nullæ ex cognatis nomina causis  
Sortitæ meruere, suas referentia uires.  
Nam sex, quæ dorsum Tauri stipare uidentur,  
Pleïades graio celebrantur nomine dictæ  
Natae Pleïones, quarum pater arsit amore  
Iupiter, & captus cupidè flagrauit Orion;  
Pura pudicitia uectæ super astra sorores,  
Cœli Tempa tenent & uita cœlibe uernant.  
Quæ uerò eiusdem caput obsedere iuueni,  
Quinq; uocant Hyadas pluuijs ac imbre madentes,  
Quæ Bromium Dodonides nutrissè feruntur,  
At quæ præcedit Geminos, duo sidera Ledæ,  
Stella, Propus uero meruit de nomine dici.  
Has quoq; quæ tenuem languenti lumine nubem  
In cancro referunt, stellas præsepe uocarunt,  
Ultrâ quod citraq; duo stabulantur Aselli.  
Sed quæ clara micat generosi in corde leonis  
Stella, leoninum cor dicitur & Basiliscus,  
Quòd sub se natis Regales præbeat ortus.  
Posthæc, quam circum gestans Astræa sinistra  
Virgo manu uibrat, rutilanti luce coruscat  
Spica, sed ad dextram paruus uidemitor alam  
Voluitur, hinc quatuor positæ mox ordine stellæ,  
Quas puer Idæus dextra gerit, urna uocantur.  
Nec procul à caudis pisces aspergine longa  
Effundunt modicè stellas utrinq; nitentes,

Hæ



Hæ sunt lineolæ, quarum quæ uergit in Austrum  
Picta nouem stellis, Borealis quinq; refulget.  
At magnum sydus, pulchrumq; ubi uincla ligantur  
Syndesmon Graij, nodum dixere latini.

Altera sed cœli Borealis sidera dicunt,  
Quæ cis signiferum Aeolias clauduntur ad arces,  
Quâ propius rapidis Aquilo quatit æthera pennis,  
Hic princeps Helice græcis spectata carinis,  
Et Cynosura minor, paruos uoluuntur in orbes  
Illotæ, sicceq; maris quia Iuno lauacra  
Zelotypa inter dixit eis, communeq; ademit  
Ius Ponti, miseræ sinuosus obambulat anguis.  
Arctophylax sequitur, Bachoq; adamata Corona,  
Pro qua decertans, genibus pia numina flexis  
Aduocat Engonasis, metuendus robore clauæ.  
Hunc prope cristatum stellis ardentibus hydram  
Viribus Herculeis Ophiuchus comprimit audax,  
Scilicet ipsa sequens Hermæ lyra concitat illum  
Arguta exacuens animos ad prælia uoce,  
Quem non illa mouet? Cygnus tam dulce canens  
Audit, & admirans propius circumuolat alis. (tem  
Illic oblectata iacet uicina sagitta.  
Et Iouis instat Auis, Delphino præuia grandi;  
Delphinum Protome sequitur stellata Caballi,  
Aut, uelut Hipparchus diuino prodidit ore,  
Ales equus. Posthæc Cepheus cum coniuge pulchra  
Aerumnas plorant proprias, pœnasq; suorum,  
Quas inuexit eis uesana superbia formæ  
Cassiopæ matris, se ausæ præponere Nymphis,  
Non amor est illis somno traducere noctes,  
Oceanuè diu sese recreare lauacris.  
Vix abeunt cubitum, cum rursus in alta feruntur

D Terrarum,



Terrarum, ueteres repetitura Astra labores.  
Namq; hic Andromede scopulo pendere uidetur  
Infœlix soboles, luctatur & ipse maritus  
Propter eam Perseus subiens flagrantibus astris,  
Adstat, & ipse dolet cernens mala tanta pudendus  
Heniochus, cui post tergum Deltoton oberrat,  
Cæsarie insignis Berenices inde capillus,  
Cui pia Callimachi peperit solertia cœlum,  
Signorum quoq; dictorum natura quibusdam  
Partibus attribuit proprias referentia uires  
Nomina, Nam pigri radiantia crura Boötæ  
Obsidet Arcturus, fidibus præfixa Canoris  
Est lyra, sed leua Perseus fert Gorgonis ora,  
Et dextra uibrat falcatum cominus enssem,  
Quamuis exiguis signatur fulgidus astris,  
Quæ uerò flammis humero præclara sinistro  
Insidet Aurigæ, Oleniæ lux illa capellæ est,  
Quæ puerum Saturnigenam lactauit in Ida  
Occultum, genitor mensis ne apponeret ipsum,  
Infantiq; uorax saturaret uiscera nato,  
Cum ambitione furens, sæuacq; cupidine Regni  
Suspectæ sobolis laniaret dentibus artus,  
Iupiter ergo suæ cœlum mercede rependit  
Nutrici, qua se seruatum ad fulmina sensit.  
At duo quæ in læuo comparent sidera palmo  
Parua, uocant hædos signum pluuiale gemellos.  
Tertius Australis signorum dicitur ordo;  
Stellarum quæcunq; Noti gyrauntur ad axem  
Ultra signiferum, quorum mihi nomina restat  
Dicere cura breuis, dum summo in puluere curro.  
Primus ab Eois oritur clarissimus undis,  
Et similis contemplanti surgentia Orion

Sidera,



Sidera, non meminit saltus cur cinxerit altos  
Cum canibus, nec spe leporis, prædaq; mouetur,  
Quantumuis pulsæ resonent latratibus auræ,  
Illius prope namq; pedes indagine motus  
Accelerat lepus, ast uelocior ore Molossus  
Prædæ inhiat, iam iamq; propinquior esurit ipsum.  
Tardius egressus Procyon per saxa per omnes  
Insequitur scopulos, non multis passibus absens  
Si quæ forte sibi raptum præuertat honorem.  
Post hos ascendit flammis ardentibus Argo,  
Siue illa undisonum portabat prima per æquor  
Grauigenas Proceres, seu sanctum Noâ parentem  
Cum Christi cœtu magna seruauit in ira:  
Cum Deus horrificis terras immergeret undis  
Ob scelus, atq; suæ desertum laudis honorem,  
Promouet hinc sese squamis lucentibus Hydra,  
Signiferi longo tangens tria corpore signa,  
Spira prior cratera gerit. postrema loquacem  
Coruum, qui Dominæ furtiuos prodidit olim  
Concubitus, tunc Cygnæis formosior alis,  
Nunc uero factus nocturnis nigrior umbris.  
Semiuir hic Centaurus adest, mirabile monstrum  
In cuius dextra quadrupes resupina tenetur,  
In læua Thyrsus, decus ac insigne lyæi.  
Thuricremis etiam circum nitet ignibus ara,  
Ara gygantæis quondam memorabilis ausis.  
Post Notius piscis, cetus, lymphæq; propinqui  
Vrnigeri, curuq; fluens ab Orione flexu  
Eridanus, signumq; decens australe, Corona,  
Cui dedit à cœlo nomen res ipsa minutum,  
At iuxta Hipparchum caduceus illa uocatur.

Sunt etiam quædam proprio ex his nomine dictæ

D ij Nam

a,





Nam Procyon fertur quod in Anticane emicat astrū.  
Sed quod deinde Canis splendet maioris in ore,  
Est Canis a signo dictum, seu sirius ardens,  
Nam Solis vires intendens duplicat æstum.  
Ast Argo in summa radiantis stella Canopi est,  
Hæc fugit in Rhodio speculantum lumina tractu,  
Aut aliqua certè tantum de rupe uidetur.  
Verum in Alexandri clara sic cernitur urbe  
Ut super emineat, signi sub Sole quadrante.

Sed iam formosi nitidissima lumina mundi  
Quacumq; in cœli radiatis parte, ualete.  
Vos etiam triplices cycli tractusq; plagæq;  
Ignauo quæ me toties torpere Veterno  
Non estis passæ, mentemq; leuastis in altum  
Harmonia ductam uestra, & dulcedine captam.  
Nunc portum attigimus. Vale ô dulcissima cœli  
Vrania, tenerumq; mihi defende laborem,  
Vos quoq; Pieridum, iuuenes, quicumq; fauetis  
Lusibus, emeritis placidi mea cingite sertis  
Tempora, non equidem lauri de frondibus opto  
Aut tumida palma, fœlices talia uates  
Serta decent, humili satis est me facta salicto  
Sumere, Parnassiq; iugum mulcere canendo,  
Si modo me Phœbus circum Peneia rura  
Quæ cupio, cantare sinat, numeroq; suorum  
Parte aliqua numeret, nec sacris arceat ullis.

## LVSVS DE CANCRIS.

CAnker amo fluuios uitreis generatus in undis,  
Tetra quidem uideor, sed sine labe fera.

Non



Non ego difficiles hominum subuerto labores,  
Nec rapio partos insidiando cibos,  
Qualia multa patrant terrena animalcula furtim.  
Non contenta suis dum meliora uolunt,  
Vita mihi in patrijs innoxia ducitur undis,  
Ni quod me tutor crimen habere putes,  
Cornua namq; mihi & metuendas forpice chelas  
Natura, & crustam pectoris arma dedit,  
His ego me soleo captantes figere telis,  
Hinc me tam paruum uirq; puerq; timet,  
Ad uisusq; meos sese lotura puella  
Horret, & exclamans obstupefacta fugit:  
Heu mihi, quod spectrum mater charissima cerno?  
Inquit, & hic quæ nam bestia tetra natat?  
Talis in Herculeos Iunone furente labores,  
Lernæa subiens missa palude fuit,  
Scorpius est, aut hoc generatum in flumine monstrum,  
Quidquid id est illi uirus inesse reor.  
Insipiens uulgus formam dum spectat inanem,  
Esse meum formæ par putat ingenium.  
Sed tamen ignorant multi, quæ commoda præstem,  
Quis sim, quas laudes, cancer habere ferar.  
Clarus ab antiquis sum natus origine cancris  
Quos Deus, ut bonus est, condidit ipse bonos.  
Sunt uariæ species nostri, uariæq; figuræ,  
Continet ac unum nomina plura genus.  
Dissimiles caudis carabi, sed cursibus Hippæ  
Littore Phænicum non superabilibus,  
Sunt Pinnotheræ, & mollis thoracis Echini,  
Qui sese in gyrum dum gradiuntur agunt.  
Cumq; Chametracheis, Maia, tenuescq; Leones.  
Adde simul socios Gammaron atq; pagrum.

D iij

Sunt



Sunt etiam pauidæ nostra de gente locustæ,  
Quas, te si uideant dire Polype, necas.  
Hi sumus & plures, reliquum sine nomine uulgus,  
Quis neq; forma eadem, nec color unus inest.  
Producit niueos celebratæ ripa Toronæ,  
Plurima sed fusco turba colore sumus.  
Nec pudor est, quòd in obliquum, uitiumuè tuemur;  
Qui sapit in uarias prospicit ille uias.  
Ora quòd ad medium corpus submissa tenemus,  
Hoc signum nostræ simplicitatis habe.  
Exangues ullo neq; nos recalescimus æstu,  
Et petulans nostro corpore feruor abest.  
Inflat apes bombos, mugit bos, sibilat anguis,  
In putridis latitans rana coaxat aquis.  
Mus auidus mintrat, nos uerò exile sonamus,  
Labentis pluuia desuper instar aquæ.  
Grandior est nobis pariter dextra omnibus ala,  
Omnes ex æquo nascimur octipedes.  
Nec Veneris nobis prudens natura negauit  
Gaudia, quæ geminus mutua sexus alit.  
Fœmina grata mari coiens coniungitur ore  
Et sobolis charæ germen ab ore uocat.  
Quina omnes sed amara ferunt oua, inde propago  
Nostra, ita cancrorum nascitur omne genus.  
Mas graditur simplo primo pede, fœmina duplo,  
Brachia bina gerunt denticulata mares.  
Exuimus ueterem uernali tempore crustam,  
Innouat hinc uegetus corpora nostra uigor.  
Si fiber aut aliquis chelis nos exiit hostis,  
Crescit in eliso mox noua chela loco.  
Deniq; uita manet cunctis longissima cancris.  
Siquid & inter se displicet arma fremunt.

Ac



Ac uelut obuersis si quando cornibus agni,  
In sua concurrunt uulnera terribiles.  
Sic furit inter se cancrorum mota potestas.  
Cornibus & uersa prælia fronte gerunt.  
Cum uafro simplex etiam fouet angue locusta,  
Dissidium, quem si corripit ungue necat.  
Mira loquar, sed uera, scit hoc experta uetustas,  
Propositam intrarat forte locusta uiam.  
Cællidus huic sese socium super addidit anguis,  
Annuït, & comitem fida locusta probat.  
Haud mora procedunt, uastos se gyrat in arcus  
Anguis, & obliquis tractibus ambit iter.  
Hæc repit, metamq; petit, quæ linea ducit  
Recta, ferè mediam iam tenuère uiam.  
Cum monet hæc illum, directo tramite uadat,  
Sed monitus pondus non habuère suum.  
Ergo iterum placidis uerbis affata superbum,  
Quid tibi cum spiris? perge decenter, ait.  
Sed neq; sic motus, solito se promouet arcu,  
Et finit, in uentos uerba monentis eant.  
Non tulit hos fastus, fraudesq; locusta colubri,  
Irruit, & chelis sibila colla premit.  
Ille uenenato captiuus palpitat ore,  
Et uario flexus corpore quærit opem.  
Aspera sed iugulum populatur chela locustæ,  
Donec ad infernas mittitur hydrus aquas.  
I, strue nunc fraudes monitorem despice cancrum,  
Hoc serpens nostri pignus amoris habe.  
Laudibus in nobis lusit natura creatrix  
His, & uirtutes iussit inesse suas.  
Vimq; dedit tetros serpentum tollere morsus,  
Atq; uagum toto corpore carcinoma,

Tinctaq;

Ac





Tinctaq; tabificis medicari membra uenenis,  
 Et lautas hominum nil minus esse dapes.  
 Quamuis nos ueterum Moses exclusit ab usu,  
 Et nobis uesci iusserit esse nefas.  
 Non nos immundi, sed erant cum gentibus illi  
 Noxia mundandi turba cruore Dei.  
 Nunc licet & uesci, licet & cum gentibus uni,  
 Iudæis uero sacrificare Deo.  
 Audiūt hæc quondam patefacta oracula Petrus,  
 Cum Deus è superis talia dicta daret.  
 Vescere, Petre, uoles quocunq; ex omnibus istis,  
 Omnia sunt nostra munda creata manu,  
 Primus Ioannes in uasta doctor eremo,  
 Esse Dei cancos utile uidit opus.  
 Vfus & est cautis diuina lege locustis,  
 Grata nouæ legis dogmata præco ferens,  
 Et meruit generis celebrari gloria nostri,  
 Qui summa cœli Cancer in arce sedet,  
 Cancer Lucifugæ domus haud inimica Dianæ,  
 Solstitij æstiuas temperat ille faces,  
 Atq; suis metis celerem Phaëtonta refrenat,  
 Et cogit gratas ferre, referre uices.  
 Luce beat superos, longis Antichtones umbris,  
 Ac aperit nudis flumina Naiadibus.  
 Occupat has sedes, siue exaltatus ab Hera,  
 Quod nato Alcmenes insidiatus erat.  
 Seu quia cœlesti diuina potentia signo  
 Assimilem fecit, sidere dignus erat.  
**D**ISCITE non Stoò conflari puluere cancos,  
 Hæc notat authorem fabrica parua Deum.  
 Non casu nouere, quibus se mensibus abdant  
 Et loca quis tuti rursus aprica petant.

Non



Non temerē uictum querunt, uitamq; tuentur,  
Et speciem seruant, progeniemq; suam,  
Debuit hosce Melesigenes cecinisse poëta,  
Nulla hac extaret clarior historia,  
At tu, quicumq; hæc cancrorum Encomia carpis,  
Et dirum titulis omen inesse putas:  
Vilior es cancro, uafro fucator angue,  
Sis, licet, & Cancrum sic sine fine time.

AD MATTHIAM RAKOCIVM  
FRATREM SVVM GERMANVM,  
NATV MINOREM.

Hoc quoq;, Matthia, tibi mitto poëma legendum,  
Ut mihi tu reddas, frater amande, tuum,  
Nam tua, dispeream, si non legere omnia malo  
Quam mea, quæ tribuit Musa tenella mihi,

AD CLARISSIMVM VIRVM, D.  
PAVLVM RVBIGALLVM PANNO-  
NIVM, POETAM.

Fama uolat circum Albiacas celeberrima ripas,  
Hic ubi cum Musis doctus Apollo sedet:  
Hunc, Rubigalle, breui dulcis te uocis Olorem  
Visurum, & sancta relligione senem.  
Hæc tua cura & amor uisendi iustus amicum,  
Inclyta diuinæ semina mentis habet,  
Ipse hominum genus imprimis Deus author amauit,  
Fecit id æterni Christus imago Patris,  
Cultus amicitiaë hic uenturæ est formula uitæ,  
Qua nos æternus consociabit amor.  
Ergo Deo gratus, ueteriq; optatus amico,  
Dulcis amicitiaë gaudia iusta feres.

E Gaudia



Gaudia post longum cupido placidissima tempus,  
 Cum Docti præsens uoce fruere senis.  
 Sic pius Aeneas multa dulcedine quondam,  
 Ora Heleni gaudens uidit amica sui.  
 Qui tripodas Phœbi, lauros, ac sidera norat,  
 Illi is solamen, spes, requiesq; fuit.  
 Gratia te similis manet hic, & honesta uoluptas,  
 Inter & eximios lausq; decusq; uiros.  
 Fallor? an aggressum uotis foelicibus æquor,  
 Acceleras media iam, Rubigalle, uia?  
 Illa ego libabo plenos crateras laccho,  
 Sertaq; festiua florida luce geram:  
 Quæ te cunq; mihi feret huc, uenerande poëta,  
 Aduolet o foelix ocyus illa, precor.

AD PIVM, VIRTUTE ET  
 ERVDITIONE ORNATISSIMVM VIRVM,  
 D. Emericum Czanadi, pastorem Ecclesie  
 Dei in oppido Pannoniæ Zantho, cis  
 Tybiscum ad radices Carpati.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.  
*Martini Rakocij Turociensis.*

**Q**uid mundus furit hic? quid Dominus Satan  
 Ingenti fremitu prælia seculo  
 Postremo ciet in Christicolas? pios  
 Inuoluens grauibus malis.  
 Nunc Turcas acuit, nunc fera præfulum  
 In nos ora aperit; mittit & impios  
 Doctores, gladios congerit & faces,  
 Imbelli exitium gregi.

Hic



Hic formas varias induit, & dolis  
Versutum superat Prothea lubricus,  
Natura in propria ne queat arripi,  
Et uinci clypeo Dei.  
Nunc fit doctus homo, lucis & angelus  
Nunc rursus canis, & mille Sophismatum  
Gnarus, Iesuites non diabolites  
Vult dici Stygius Satan,  
An non hoc (Emerice optime, qui mihi  
Primos inter amicos bene cognitus  
Obseruare) animos, spesq; hominum omnium  
Tantum deiciat malum?  
Miretur uetus Ecclesia dexteram  
Præsentem Domini, facta per inclyta  
Lucentem, Vndi sonos iactitet exitus,  
Excussumue Phari iugum.  
Nos miris moniti non leuioribus  
Speremus, nimium est temporis istius  
Miraculum, quia nos omnipotens Deus  
Aduersus mala protegit,  
Quæ Dæmon Stygio carcere turbidus  
Emissus mouet, ac impia perfidi  
Vis mundi, in miserum terra, polus, mare  
Insurgit populum Dei.  
Hæc uestigia nos numinis admonent  
Præsentis, Deus hic quod sibi colligat  
Cœtum perpetuum, qui Duce te, ὁ λόγος,  
Non ullum metuit malum.  
Ergo fide animis, Pastor age optime,  
Te non Antinomi, te neq; Stoici  
Doctores moueant, quiq; fidelium  
Rixando lacerant gregem.

Hic te



Hic te non pudeat Stöckelium sequi,  
Quo sancti gregis, & pacis amantior  
Non est, hunc Helicon, & pietas uirum  
Ac uirtus amat aurea,  
Sic cantus citharæ sæpe leges meæ  
Firmantis ueteris uincula gratiæ,  
Sic charum mihi te sæpe leget, meis  
Quisquis carminibus fauet.

F I N I S,



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86






*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]*








LIBELLVS DE  
SPHÆRA PROCLI DIADOCHI,  
EX GRÆCO LATINVS FACTVS CARMI-  
NE HEROICO, A MARTINO RAKO-  
CIO TVROCIENSI.

PRAEMISSA EST ELEGIA CLA-  
rissimi uiri, D. Casparis Peuceri, Medici & Profes-  
soris Mathematicum in inçlyta Vitebergæ  
Academia.

ADDITA EST ELEGIA AVTORIS,  
quæ continet Historiam Cancrorum.



VVITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.  
ANNO M. D. LVI.